

tuæ. An non saltem melius illas impendisses  
innumeris aliis creaturis, quæ melius respon-  
dissent tantis beneficiis tuis? Quid ergo te  
movit, ut in indignum conferres, quæ aliis  
dignioribus ad maiorem tuam gloriam con-  
ferre potuisses? an forte hæc ipsa ingratitudo  
& indignitas mea tibi sufficit ad palam fa-  
ciendam in me bonitatem ac misericordiam  
tuam? Sed O quantum hæc tua bonitas me  
in ruborem agere debet; dum video infini-  
tum amorem tuum semper, & in omnibus  
triumphare de illiberalitate & inhumanitate  
mea! An quidquam, quantumvis exiguum,  
tibi præsto Deus meus, quin centuplicato re-  
tribuas mihi? Et cum tu potentiam & amo-  
rem tuum mæ utilitati constanter impendas,  
quo signo benevolentie me gratum tibi exhi-  
beo? Nonne potius Judæ vestigia sequor,  
qui dum in fru Charlatis tuæ nutritur, pro-  
ditorio te vendit osculo? &c.

## CONSIDERATIO XVI.

*De Sanctitate DEI.*

Hæc 1. Admiranda. 2. Adoranda. 3.

Imitanda.

P. 1. *Hæc admiranda.* Multos equidem  
sanctitate eximios veneratur Eccle-  
sia,

sia , sed quis inter eos omnes , cum viveret ;  
non coactus fuit fateri cum Propheta : *In ini-  
quitatibus conceptus sum , & in peccatis con-  
cepit me mater mea.* Ps. 50. Quis pariter eo-  
rum non expertus est proclivitatem naturæ  
suæ ad malum juxta illud : Gen. 8. *Sensus &  
cogitatio humani cordis in malum prona sunt  
ab adolescentia sua :* ut proin fateri iterum de-  
buerit cum Apostolo : ad Rom. 7. *Video aliam  
legem in membris meis , repugnantem legi  
mentis mea , & captivantem me in lege peccati.*  
Si quem (ut Beatissimam Virginem) peccatum ,  
& cum eo mors animæ pertransiit , gratiæ  
privilegium est , non naturæ . Solus Deus est ,  
cujus natura omnis in capax mali , uti physici-  
ta & moralis . Quemadmodum ipsi soli com-  
petit , quod sit Deus : *Tu es Deus solus.* Ps. 85.  
uti est Dominus solus : Is. 37. *solus potens :* ad  
Tim. 1 *solus altissimus in omni terra :* Ps. 82.  
*solus pius :* Apoc. 15. ita quoque est *solus bo-  
nus ,* Judith. 11. *solus justus ,* 2. Mach. 1. *solus  
sanctus ,* quod ipse solus impleat mensuram  
omnem sanctitatis ; & non solum nullam ad  
malum inclinationem habere possit , sed & ex  
natura & essentia sua sanctissimus sit , utpote  
bonum in omni genere boni perfectissimum ;  
adeoque in semetipso complectens uti om-  
nem

nem perfectionem pulchritudinis, potentiae,  
sapientiae; &c. Ita & omnem sanctitatem:  
cum omnes perfectiones Divinae in ratione  
sancti & perfecti ab ipsa Divina sanctitate  
quodammodo compleantur. Uti proinde  
primae summæque veritatis est, excludere  
omnem falsitatem, ac summi boni excludere  
omnem rationem mali: ita & summe  
perfecti est excludere omnem imper-  
fectionem: quanto igitur magis omne  
peccatum: cum peccato imperfectius nihil  
esse possit, eo quod ab omni rectitudine &  
honestate deflectat, imo penitus deficiat?  
Ecce si radices peccati præcipuas in nobis  
perpendimus; nonne ut plurimum sunt aut  
ignorantia & cæcitas intellectus, aut per-  
versitas ac malitia voluntatis, vel certe im-  
becillitas & corruptio naturæ nostræ? At  
nonne ab his omnibus infinite distat Deus:  
cum ut pote infinite sapiens, nihil ignorare  
possit, omnemque rationem boni & mali per-  
fectissime comprehendat; & qua sumnum  
bonum, nullius mali capax sit; ob excellen-  
tiam insuper naturæ nulli fragilitati possit esse  
subjectus? Ex quibus sane liquet essentiaz ac  
nature Divinae sanctitatem naturalem plane

esse ac propriam; eamque ute pote primam causam, primumque exemplar omnis sancti & perfecti, non solum omni peccato, sed & cuicunque etiam minimae imperfectioni ac defectui infinite esse oppositam: ut nihil simile in eam ulla ratione cadere possit. Quod si tenebrae nihil habere possint commune cum luce, qua ratione summa perfectio cum imperfectione? Nam ut Apostolus 2. ad Cor. 6. *Quæ participatio justitia cum iniquitate?* aut *quæ societas luci ad tenebras?* quæ autem conventio Christi ad Belial? Si ne conveniebat quidem inter arcum fœderis & Dagon, quanto minus sanctitas & perfectio infinita cum peccato conciliari poterit? Unde mirum non est Deum infinito odio prosequi omne peccatum, nec magis amare posse, quidquid vitiosum est, quam odiisse se ipsum; cum amor sui ipsius sit mensura odii, quo fertur in peccatum, tantumque oderit peccatum sibi oppositum, quantum amat se ipsum: ut proinde ne ad iniquitatem quidem respicere sine aversione & horrore possit. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Habac. I. minus animam etiam levissimo peccato inquinatam, ad consortium ac conspectum suum

suum admittere: Neque habitabit, inquit Rex David, juxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Ps. 5. & Apoc. 22. Non intrabit in eam [cælestem civitatem] aliquod coquinatum. O quam terribile ergo est magne Deus! sanctitatem tuam offendere! Nulla inter omnes tuas perfectiones minus placabilis, quam Divina tua sanctitas; quod nulla immediatus ea peccato opponatur. Hanc qui laedit, utique laedit pupillam oculi tui; quod hoc thesauro sanctitatis nihil tibi chartius sit. Si vetitum erat in lege veteri manum extendere in sanctos Domini: Nolite tangere Christos meos. Ps. 104. Si morte subitanea punitus est Oza, quod cum ipse homo prophanus esset, ausus fuerit tangere arcam scœderis; quam terribile ergo judicium iis, qui sanctum sanctorum, ipsamque sanctitatem violare attenterint? &c.

P. 2. *Adoranda.* Quanta in æstimatione ac veneratione non fuerunt sancti, etiam dum mortali adhuc in carne viverent, adeo ut etiam eorum sudaria & vestimenta attractu eorum, sacra censerentur, summoque haberentur in pretio! Nec mirum: cum ipsa non raro elementa eorum sanctitatem reverita fuerint, ipsorumque paruerint imperio! imo ipsi fero-

cissimi leones , ad eorum se pedes prostraverint , eosque lambendo , suam ipsis submissiōnem , reverentiamque contestati sint . At quid amabo , sanctitas omnium simul non hominum modo in terris , sed & Angelorum in cælis collata cum sanctitate tua Deus meus ! quid inquam nisi atomas , nihilum , aut si quid nihil minus ? Potuisti equidem nobis donare particulam aliquam , & veluti scintillam sanctitatis tuæ , aut verius similitudinem aliquam hujus perfectionis ; Verum uti nobis tribuere non potuisti tuam Divinam essentiam , ita nec sanctitatem ceterasque tuas perfectiones : quod quidquid in te est , infinitum sit , atque ideo infinite excedat omnem capacitatem naturæ nostræ , ex se ipsa finitæ ac limitatae . Quidquid in te est Deus meus ! sanctum est , omniisque ex parte perfectum ; imo omnia usque adeo ( quatenus in te idealiter existunt ) sancta sunt , & tu sanctus in omnibus ; quidquid e contra in nobis est , mancum ac imperfectum , ut sanctitatis nomen mereri nequeat : cum limites finiti , ne per potentiam quidem tuam , excedere possit . Tu sanctus in & a te ipso ; Nos vero mera gratia sanctificati per te . Tu sanctus in omnibus operibus tuis . Ps . 144 . ut quidquid demum agas , sanctum sit , eο-

quod

quod omnia opera tua non minus in sanctitate,  
quam sapientia & potentia tua fundentur; at  
vero opera nostra, etiam, quæ speciem ali-  
quam sanctitatis præferre videntur, heu quantis  
scarent defecibus? ut merito dixit Isaías.  
c. 64. *Quasi pannus menstruatus omnes justitiae*  
*nostrae.* Vel ipsum nomen tuum sanctum est:  
Ils. 47. cum e contra nomen ipsum creaturæ  
omnem imperfectionem in se comprehendit,  
& primigenii nihil ac infirmitatis nostræ nos  
commonet. Tu nihil cogitare, nihil velle po-  
tes, quod non sit consonum regulæ rectæ ra-  
tionis & honestatis; cum ipsemet sis regula  
omnis veri, recti, & honesti, tibi ipsi autem  
discors esse nequeas; at nos quam longe a ve-  
ro & honesto recedimus, utpote diligentes  
vanitatem, & quærentes mendacium. Ut  
proinde omnis sanctitas nostra non nisi um-  
bra quædam sit infinitæ sanctitatis tuæ, eam  
ut est in se, ne per imaginem quidem, pro-  
totypo proportionatam, ne dicam concordem  
exhibens. Tua sanctitas æterna & immuta-  
bilis est: *Justitia enim tua manet in seculum*  
*seculi.* Ps. 110. At nostra quam variabilis; cum  
unica non raro tentatio eam subvertat? Tua  
sanctitas nec augeri, nec minui potest, utpote  
supremo in gradu perfectionis consistens:

nostra vero lunæ ad instar jam crescit paululum , mox iterum decrescit , quod originalis infirmitas nostra semper nobis adhæreat , & in nativum nihil nostri fundum nos deprimat . In nobis si quæ est sanctitas , partita , ac divisa est : ut in singulis non nisi laciniam quandam illius inveniamus ; in Abrahamo v. g. fidem , in Josepho castitatem , in Davide mansuetudinem &c. at in te cumulus & congeries omnis boni , omnis virtutis , perfectionis , sanctitatis , eaque omnia insuper in gradu sublimissimo , & ab omni imperfectione depurata , inveniuntur . Quam admiranda proinde Deus meus ! sanctitas tua , quæ vel ipsos Cherubinos ac Seraphinos in tantam rapit admirationem ; ut quamvis infinitam laudis & adorationis materiam eis præbeant infinita tua potentia , sapientia , fortitudo , majestas ; &c. continuo tamen occupentur in adoranda ac prædicanda infinita sanctitate tua , illud solemne suum sine fine iterantes : Sanctus , Sanctus , Sanctus Dominus Deus exercituum . Is. 6. Si proinde vel fideles tibi servos venerari merito debeo , quod eos a te meti ipso ob vitæ sanctioris puritatem gloria & honore coronari videam ; quanto magis te Deum meum ; qui prima radices omnis puritatis ac sanctitatis , magis que

que remotus es ab omni contagione iniquitatis, quam infinitum distat a finito. Si insuper scabellum pedum tuorum adorandum est, juxta illud; Ps. 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Et si Moysi calceamenta pedum præ reverentia solvenda fuerunt, cum ascenderet velle in montem Dei Horeb, Exod. 2. eo quod locum illum tua præsentia sanctificasset; quanta ergo cum demissione, quam profunda cum reverentia, adorare debebo incomprehensibilem illam sanctitatem tuam, quæ veluti complementum est omnium Divinarum tuarum perfectionum. &c.

P. 3. *Imitanda.* Etsi Sanctitas Dei infinita sit, ut eam assiqui nulla pura creatura possit: Non enim *est Sanctus, ut est Dominus.* i. Reg. 2. Nihilominus hortatur, imo præcipit Deus, ut, ( quantum patitur naturæ nostræ conditio ) sanctitatem suam imitemur. *Sancti estote inquit, Levit. II. quia ego sanctus sum.* Et Christus Dominus. Math. 5. *Estote perfecti, sicut & pater vester celestis perfectus est.* Ex quo manifestum, quod ( licet ad sanctitatem incretam æque parum pertingere aut aspirare possimus, quam ad ipsam Divinitatem ) Deus nihilominus a nobis exi-

git,

gar, ut sanctitatem per Spiritum Sanctum  
animæ nostræ infusam, non solum illibatam  
conserveamus; sed & saecu Divinam imitan-  
do, magis magisque augeamus ac perficia-  
mus. Et quid mirum, quod, cum ipse san-  
ctissimus sit, sanctitatem a nobis requirat in  
gradu excellenti, & quoad fieri potest suæ  
summam? Cum videamus etiam nobiles  
in filiis suis desiderare animos ac spiritus no-  
biles; quibus se a vulgo distinguant: nos  
autem non solum filii simus sanctorum, sed  
ipsasmet Dei jure proinde a nobis exigentis;  
ut opere ipso filios nos probemus, dignos  
tanto parente, cuius hereditatem aliquando  
præstolamur. Certe si Deus justissime in ve-  
teri lege exigere potuit, ut non solum nihil  
immundum sibi offerretur; sed & , ut mun-  
da & pura essent, quaecunque servitio ejus de-  
putata erant: adeo ut etiam sacerdotes & mi-  
nistros altaris sui, quin & eorum vestes, va-  
sa &c. sanctificari voluerit; grande vero pia-  
culum reputaretur, vel polluto corpore in-  
gredi sanctuarium; si inquam Deus iis etiam  
in rebus, quæ ad cultum suum externum  
pertinebant, tantam requisivit sanctitatem;  
nonne potiori jure eam exigit ab anima, quam  
in consortium suum, æternamque societa-  
tem

tem admittere decrevit , ut D'vinæ consors  
esset naturæ . 2. Pet. 1. Quid enim sponsum  
exquisitæ pulchritudin's , magis decet , quam  
sponsa , formæ pariter elegantioris ? Et non-  
ne totus ordo Divinæ providentiaæ circa ho-  
minem ad hunc scopum unice tendit , ut eum  
in sanctitate sibi reddat quam simillimum ?  
Nonne hunc in finem statim atque formabat-  
ur , non solum Dei imagine insignitus est ;  
ut patris sui æterni vultum referret ; sed &  
gratia sanctificante dotatus ; ut in sanctitate  
quoque conditori suo assimilaretur ? Nonne  
pariter ideo redemptus per Christum ; ut in  
filio naturali haberet vivum exemplar , &  
ideam sanctitatis Divinæ , illumque intuendo  
ac imitando , magis , magisque animam su-  
am perficeret ? Nonne & ideo sanctificatus  
in Baptismo ; ut primæva & originalis imago  
sanctitatis Divinæ , per peccatum erasa , peni-  
cillo veluti Spiritus Sancti in eō renovaretur ?  
An non denique tot adjumenta sanctitatis ,  
quot dona supernatura ha , nobis Deus con-  
cessit ; quotque Sacra menta instituit , quo-  
rum beneficio gratiam sanctificantem indies  
( si vellemus ) augere liceret ? Ut vel inde  
disceremus , ve iissimum esse , quod dixit  
Apostolus 1. ad Thess. 4. Hæc est voluntas  
Dei ,

*Dei, sanctificatio vestra: non scilicet purum votum ac desiderium; sed seria & efficax voluntas, quod nos non minus similes sibi esse velit in sanctitate, quam similes alij quando in gloria: cum neutra ab invicem separari possit; ita ut aut sanctos nos fieri oporteat, aut reprobos, Ecclesiastico teste, dum ait: cap. 30. *Salus anima in sanctitate iustitia.* Quo certiore præterea argumento comprobabimus nostrum in Deum amorem & estimacionem, quam imitando ipsius sanctitatem, quam ipsemet tantopere amat, & estimat: cum amans haec propria dōs sit, ut in amatum transformari cupiat, nihilque amori magis adversetur, quam dissimilitudo morum ac vitæ? Qua vicissim ratione Dei nobis amorem certius conciliabimus, quam hac ipsa imitatione sanctitatis illius: cum similis simili gaudeat, & similitudo naturæ vel inter ferocissimas bellugas mutuam concordiam, amoremque provocet & conservet? Ah Deus meus! dum video hominem talentis, dignitate, divitiis eminentem, similis illi esse cuperem; in te video collectionem omnium virtutum, omniumque perfectionum, quarum natura tua Divina capax est, quin tamen tibi similis esse serio cupiam? Num major honor*

aut

aut felicitas mihi obvenire posset, quam similem esse altissimo? At nonne quo sanctior, eo tibi similior sum; & quo remotior a sanctitate, eo similior reddor diabolo & angelis ejus? Unde ergo haec ex citas mea, quod sanctitatem tuam non solum imitari non studeam; sed ab ea quocdammodo averfus, in via peccatorum ultra semper progressiar? Quam spem concipere possum tibi placendi, & in partem veniendo felicitatis tuæ; si nihil habere velim tecum commune, nec Divinas virtutes tuas emulari studeam? Si mores & vita mea cum tua sancta non conveniant; quomodo cor & affectus tuus cum corde & affectu meo convenire poterit? Nonne timendum, ne aliquando audiam illud Tobiae §. Ille me nescit, & ego eum ignoro. Eo quod scilicet nullam in me tui speciem, nullum virtutis ac sanctitatis tuæ vestigium invenias? &c.